

7. Conclusio

Quae solemniter ab Ecclesia definita sunt, saltem implicite in scripturis inveniri dubitat catholicus nemo. Quae vero a theologis opinantibus excogitantur systemata, non solum fide divina non sunt acceptanda, sed etiam longius a verbo Dei recedere et sacris quasi mundana commiscere.

7. Conclusio

Quem mysteriorum exposuimus nexum, eiusmodi esse iudicamus  
ut non solum ea inter se coniungat quae Deo revelante nobis  
innotescant sed etiam eo tendat ut distinctae partes theologiae

plus quam prophetam loqui oportet. Eo fere pervenimus ut cum Ioanne contemplemur illud Verbum, quod erat in principio, per quod omnia facta sunt, quod caro factum est et habitavit in nobis, quod illud enarravit verbum cui nomini est evangelium.

Sed antequam ipsum evangelium scrutemur ut mysteriorum nexum ibi inveniamus, ea recapitulum praestat quae iam sunt dicta.

Consideravimus emanationes intelligibles, easque perfectione infinitas in Deo, in quo relationes fundent interpersonales.

Similes emanationes in nobis consideravimus

Proinde, et si multa et diversa sint communicationis media, caeteris tamen et communius et usitatius et facilius et exactius et clarus esse ~~solita~~ solet verbum. Verbum ergo intelligimus illud communicationis medium quod sive in articulatis sonis sive in litteris scriptis sensum continet, exprimit, manifestat. Qui autem communicatur sensus, dicitur et auditur; prout autem dicitur, per emanationes intelligibiles ipsius dicentis procedit; prout vero auditur, in emanationes intelligibiles in audiente excitandas et producendas tendit. Quae cum ita sint, momentum verbi in eo esse perspicitur quod, mediantibus verbis, ipse homo interior, ipsaque interioris hominis emanationes intelligibiles, ~~modicadasmmam~~ interpersonales reddantur, sociales, historicae.

Age vero. Praeter verbum humanum, existit verbum Dei; existit Verbum caro factum quod in nobis habitavit; existit quod in principio erat Verbum et apud Deum Deus.

Si mundus totus in maligno positus est (1 Io 5, 19), etiam verbum humanum in maligno positum est; ex abundantia enim cordis ~~te~~ os loquitur (Mt 12, 34).

Si in mundo praedicatur verbum Dei, secundum claritatem atque veritatem praedicari debet; et pariter secundum honestatem et sanctitatem audiri debet; ergo verbum Dei praedicatum et auditum, sicut cum emationibus intelligibilibus connectitur, ita in finem vitae aeternae ordinatur.

Quod si praeter evangelii ~~verbum~~ agnoscitur Verbum et aeternum et caro factum, inquirendum est quo sensu nominetur Verbum, utrum ipsum sit <sup>vel</sup> <sup>vel</sup> <sup>vel</sup> interpersonale, sociale, historicum, utrum ab aliquo ~~dicitur~~ dicatur et audiatur. Quod si quaestionibus eiusmodi affirmative responderetur, aliquis sane mysteriorum nexus ~~in~~ elucebit. Primo, ergo, de verbo evangelii, deinde de Verbo incarnato, tertio de Verbo aeterno quaeramus quid sacrae docuerint litterae.

## III. DE VERBO AETERNO

1. Verbum insitum et prolatum.

Ipsa vox graeca, λόγος, secundum usum communem ita erat ambigua ut significaret vel orationem & vel rationem vel forte etiam utramque. Ubi enim dissensio κατὰ τὸν λόγον componebatur, non praepotentis arbitrio sed sermone rationali vel sermone et ratione quisque lis quaestiove solvebatur. Sed haec ambiguitas, <sup>quippe</sup> confusionis causa, Stoicis ita displicuit ut eam distinctione auferendam non censerent; et ideo aliud verbum insitum docuerunt, aliud autem ore prolatum (λόγος ἐρδικός, λόγος προφητός).

Proinde, cum S. Ioannes ambiguam illam vocem graecam adhibuisset, S. Theophilus Antiochenus similiter distinguendum esse iudicavit, ut Deus apud Deum ~~sit~~<sup>esset</sup> Verbum Dei insitum, illud autem, per quod omnia facta sunt, Verbum prolatum (Ad Autolycum, 2<sup>2</sup>, 22; RJ 182).

Quibus perspectis, dubitari quis potest ~~hanc~~ utrum re vera apud Ioannem detegi possit talis ambiguitas ut nunc orationem, nunc rationem, significet vox, λόγος.

Primo, ergo, evangelii verbum apud Ioannem non solum foras sonat sed etiam intus manet (Io 5, 38; 8, 31; 1 Io 1, 10; 2, 14); sed foras sonans est verbum prolatum; neque aliud esse videtur intus manens quam verbum insitum.

*etdem fere sensu*  
Respondetur tamen intus manere apud Ioannem non solum λόγος sed etiam φήματα (Io 15, 7); ubi intus manent φήματa, ibi non de interiori ratione agitur sed de oratione intus servata, sicut et apud Lucam legitur: "Et mater eius conservabat omnia verba (φήματα) haec in corde suo" (Lc 2, 51). Quantum ergo ex hoc capite arguitur, dicendum esse videtur vocem, λόγον, non esse ambiguam apud Ioannem sed solam orationem significare.